

apud quem non est vicissitudo lucis ac tenebrarum, Jac. I, 17. De LXX, affixum ex formativo generis feminini facientibus (*ὡς τὸ σκῶτ' αὐτῆς καὶ τὸ φῶς αὐτῆς*,) vide Capelli *crit. fol. 234.*

EXPLICATIO VERSUS XIII.

quia:) *Campensis* sic nectit: nec mirum, si nihil te lateat mei, quum secretissimas corporis mei partes ipse possideas.

קנייה possides:] i. e. imperium semper habuisti, habes ac habebis plenum in ea, quæ apud me sunt arcanissima. Lutherus: du hast meine Nieren in deiner Gewalt. Bohlius: du hast ja besessen mein Inwendiges. De verbis קנייה *acquisivit*, *acquisitumve possedit*, sive jure emtionis, ut *Genes. XXV, 10.* *Jes. XXIV, 2.* sive paternitatis, *Genes. IV, 1.* sive creationis, ut *Genes. XIV, 19. 22.* ubi Deus vocatur קנייה possessor cæli & terræ, vide *Prov. VIII, 22.* Hoc in locò postrema haut dubie obtinet ratio, siquidem & nostros renes, imò cuncta nostra viscera, & quicquid modo in nobis, *formavit ipse Dominus*, ceu mox docent sequentia; proindeque eadem etiam cuncta *possidet*, plenissimè intuens, quæ illic jam agitantur & sunt recondita, utut alios hæc lateant homines, imò ipsummet renum possessorem Davidem.

כליות renes meos:] h. e. in intimiores affectuum cogitationumque mearum sedes, officium aut receptacula. Ita namque *Renes* cordi solent eâ ratione annecti, uti pluribus ostensum *Proverb. XXIII, 16.* adductis etiam *Physicorum* eam in rem conjecturis. Adeoque sicut Deus alias explorare dicitur corda atque renes; *Psal. VII, 10.* *XXVI, 2.* *Jerem. XI, 20.* *XVII, 10.* *XX, 12.* ita hîc fundamentum velut notitiæ istius ostenditur, quod est *renum ipsorummet possessio*; ubi sane absurdum foret, possessorique non parum ignominiosum, rei possessæ non sufficientem aut fundamentalem habere notitiam. Aliqui apud *Kimchium* & *Aben Efram*, eosque secutus *Bucerus*, dicunt, renes primò omnium in homine gigni; verum, ut *Coppenii est ἐπιχειρησις*, hoc potius *Rabbinicum* est, quam *physicum* & *anatomicum*, cum quantum gignitur de renibus, tantum etiam gignatur de oculis & auribus. Sic idem *Kimchi* principium cogitationum ait esse in renibus, perfectionem autem earundem in corde, cui renes eas suggesserunt, quod & ipsum *Physicis* relinquimus expendendum. *Aben Efra* כליות esse ab *appetentiâ* dictas, refert ex *Psal. LXXXIV, 3.* anima mea כלות concupivit &c. quæ tamen expositio nondum evicta. *Cajetanus* *Renes* synecdochice de membris internis: non male foras.

obtexisti me:) verbum סכך idem est ac *Texit, operuit*, v. g. semetipsum nube, *Thren. III, 44.* arcam velò sacrò, *Exod. XL, 3.* nec non alis Cherubinorum, *Exod. XXV, 20.* *XXXVII, 9. 1. Par. XXVIII, 18. 1. Reg. VIII, 7.* Sic de Deò manu suâ obtegente *Mosèn*, *Exod. XXXVIII, 22.* caputque *Davidis* *Psal. CXL, 8.* & de irâ Dei obtegente alios, *Thren. III, 43.* deque umbra arborum *Job. XL, 17.* Hic itaque talis designatur Dei actio, quâ *Davidi*, dum adhuc esset embryo, gratiose adfuit, eundem instar gallinæ, ovum excludentis pullumque foventis, blandè curans, adversus quælibet infausta fortiter *protegens*, mirabiliterque insimul *efformans*, velut in sequen-

tibus exponitur prolixius. Aliqui, ut *Stephanus* & *Piscator*: referunt ad operimentum carnis atque pellis, *Job. X, 11.* Alii ad secundinas, uti *Belge* notant in *schol.* Lutherus: du warest über mir. Bohlius: da du wolltest um mich gehen in Mutter Leibe / und mit Fleisch und Blut mich umgeben. *Campensis*: quum compegeris me incredibili artificio in abditissima parte ventris geneticis meæ. Producitur verò hæc ipsa embryonis intimior circumcinctio, ad inferendam illinc absolutissimam, plane efformati perfectionem; æque ut artifex exactissimè scit horologii particulas, usum operationemque singularum; durabilitatem, defectus, utpote qui ipsemet seorsim effinxit singula, & postmodum ea quoque composuit. *Futurum pro præterito*, quale præcesit, per enallagen consuetam.

EXPLICATIO VERSUS XIV.

celebrabo vel celebros te:) indicatur actus continuus, non, qui successu temporis demum eventurus erat. vide *Psal. CXXXVIII, 1.* Hæc ipsa verò Dei celebratio solet esse eò fervidior, quo devotior antecessit sui ipsius meditatio aut exploratio, ratione autoris, modi efformandi, mediæ &c.

ob (id) quod:] elliptica hæc est locutio, siquidem *propter*, post se ordinarie requirit nomen vel pronomen, id quod etiam *Marinus* in *arca f. 41. tom. 2.* observat, ubi unicum hoc psalmi nostri annotat exemplum. Plene proin esset; *ob hoc, quod &c.*

mirabilis sum: (*tremendis*, juxta *Coccejum*) *modis:*) ita *Piscator*. Est hoc participium niphthal *formidata* (vel neutraliter, *formidatum*), quod naturam induit adjectivi in *bilis*: *formidabilis* vel *formidabile*, (vide *Psal. XLVII, 3.* & *XLVIII, 2.*) tribuiturque majesticis Dei operibus, ut *Psal. CVI, 22.* *terribilia*, in mari *Suph.* *Jes. LXIV, 2.* cum faceres *terribilia*, in redemptione populi: *Psal. CXLV, 6.* fortitudinem *terribilium* tuorum dicent: *Psal. LXV, 6.* respondes nobis *terribilia* i. e. respondes ad preces nostras realiter, & quidem per ejusmodi opera, quæ liberatis pie sunt suscipienda, hostibus verò terrorem incutiunt, panicum, &c. Qui ipse etiam locus haut incommode reddi potest adverbialiter; h. m. *respondes nobis terribiliter*: qua equidem ratione & alibi adjectiva pluralia adverbialiter præbent usum, ut, *judicabo rectitudinibus*, i. e. *rectissime*, *Psal. LXXV, 3.* *descendet mirabiliter* *Thren. I, 9.* ita & h. l. Luther. daß ich wunderbarlich gemacht bin. Refer huc p. 149. de ellipsi particula (ב) *Kimchi* melioris lucis causa apponit *operationibus* (*tremendis*). Ita & *Aben Efra*, qui allegat locum *Gen. XLII, 7.* locutus est cum ipsis *terribiliter*. *Terribiliter* autem (verba sunt *Gerhardi 7. conjug. §. 445.*) ponitur pro *Mirabiliter*; quæ enim mirabilia sunt, terrorem ac timorem incutere solent admirabundis.

mirabilis sum:) *Pagninus*, in admirationem traducor: *Junius*, ferè ut *Campensis*: ob mirabilia enim miracula tua affectus sum mirifice. At melius *Piscator*: *mirabiliter creatus sum*; secutus is est *Lutherum*, qui ex contextu hoc ipsum *mirabile esse* *Davidis* ad efformationem ejusdem in uterò factam restringit. Nam alias generale